



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisionis XVI. Ad Aprilis Quæsitum primum. Argumentum. Proponuntur quatuor controversiæ circa formam consecrationis Corporis Christi: Hoc est Corpus meum. Una ex Theologis volentibus, eam incipere ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

ejusdem Gavanti in *Mystica expositione Missæ part. 2. tit. 16. num. 28.* nondum autem advenit lætitiæ tempus Resurrectionis Domini; juxta illud: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psal. 29.* Etenim Dominus noster JESUS CHRISTUS surrexit à mortuis, non in media nocte, sed summo mane, & in aurora, illucescente die Dominico, ut ex SS. Patrum testimoniis probat Batradas in *Concord. Evangel. tom. 4. lib. 8. cap. 2.* Torniel. ad *Ann. Mundi 4084. num. 28.* & Menoc in *Vita Christi lib. 8. cap. 1. num. 7.* qui ita Ecclesiam profiteri observat in hymno illo Dominicæ ad Laudes.

Aurora Cælum purpurat. &c.

Rex ille dum fortissimus,

De mortis inferno specu.

Patrum Senatum liberum

Educit ad vitæ jubar.

Et quamvis omittatur Antiphona *Communio* durante per totam noctem morte Passionis Christi, & ejus loco intonentur statim Vesperæ, ut in Missali, nihilominus ex oratione, quæ cantatur post Magnificat, desumitur, fuisse administratâ Sacram Communionem etiam aliis à celebrante; dicitur enim in illa, *Spiritus nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tuâ facias pietate concordare.* Ecce, quod Ecclesia testatur, non unum celebrantem tantum, sed plures fideles, præter illum, fuisse Sacramentis Paschalibus satiatis, idest Eucharistia refectos; loquitur enim Ecclesia in plurali, quia plures supponit communicasse in eadem Missa, & posse communicare.

Ad Quintum tandem argumentum contrarium, quod fundatur in consuetudine universali non administrandi fidelibus Eucharistiam in die Sabbati sancti; respondetur: non ob stare, tum quia in pluribus Ecclesiis extat consuetudo particularis communicandi fideles magis devotos, Eucharistiam in Sabbato sancto petentes; ut, præter attestaciones Doctorum tenentium affirmativam opinionem in hoc quæsito, ergo vidi per annos quadraginta, & ultra in Ecclesia Divi Thomæ Martyris hujus Civitatis Paduæ; & de Jure consuetudo particularis præferretur generali. Rota coram Ubaldo decis. 80. num. 7. & coram Card. Cavalier. decis. 95. num. 3. Tum etiam quia in facultativis non usus non nocet, & consuetudo negativa non præjudicat. Potius de *Manut observ. § 8.* Emin. Card. de Luca de *Praeminem. discurs. 30. num. 7.* Et quamvis tempus proprium lætitiæ, & convivii Paschalis sit in Dominica Resurrectionis, nihilominus cum Sancta Mater Ecclesia præveniat in officio ipsum tempus lætitiæ, possumus prævenire accipiendo dona, quæ dantur tempore ipsius lætitiæ: favores enim sunt ampliandi. l. *Cum quidam ff. de liber. & posthum. Barbof. Axiom. 96. num. 4.*

Ex quibus præferenda censetur opinio affirmativa in hujus Casûs Prudentialis resolutione, donec aliud terminetur à S. Rituum Congregatione; congruum est enim favere fidelium devotioni, quæ est Religionis actus S. Thom. 2. 2. quæst. 82. art. 2. & Emin. Cardin. de *Lauræa in 3. Sent. tom. 2. de Virtutibus in genere disp. 25. num. 25.*

DECISIONIS XVI.

Ad Aprilis Quæsitum primum.

ARGUMENTUM.

Proponuntur quatuor controversiæ circa formam Consecrationis Corporis Chri-

sti: *Hoc est corpus meum*, Una ex Theologis, volentibus eam incipere debere à verbis: *Qui pridie quam pateretur.* Altera ex Canonistis dicentibus, esse de forma etiam illa verba: *Accipite & comedite.* Tertia ex Scripturistis, opinantibus, præter verba, requiri etiam *Benedictionem*. Quarta ex Philosophis, secundum quos non videtur, posse formam proferri à multis simul consecrantes eandem materiam, ut sit in ordinatione Sacerdotum, & consecratione Episcopi. Referuntur plures eruditiones Ecclesiasticæ. Resolvuntur objecta, & firmatur forma prædicta consistere in iisdem quatuor verbis: *Hoc est Corpus meum.*

S U M M A R I U M.

- 1 Forma Consecrationis Corporis Christi quæ sit?
- 2 Presbyteri in sua ordinatione concelebrant, & consecrant cum Episcopo. & num. 17.
- 3 Clerus Patavinus emicat viris doctissimis.
- 4 Verba: *Qui pridie*, quam pateretur, an sint de essentia consecrationis?
- 5 Benedictio Hostiæ ante consecrationem, an sit de essentia?
- 6 Christus an sola benedictione consecraverit Eucharistiam?
- 7 Causa plures totales non possunt concurrere ad eundem numero effectum.
- 8 Sacerdos consecrando loquitur in persona Christi.
- 9 Verba: *Qui pridie &c.* sunt de precepto tantum.
- 10 Enim dictio non est de essentia in consecratione.
- 11 Hispani difficulter proferunt T. post S.
- 12 Verba recitativa non consecrant.
- 13 Christus consecravit Eucharistiam proferendo verba formæ.
- 14 Benedictio accipitur pro consecratione.
- 15 Christus an consecraverit, quando fuit in Castello Emmaus?
- 16 Christus dicto, & facto voluit instruere Ecclesiam circa Eucharistiam.
- 17 Presbyteri plures simul consecrando dicuntur causa partiales.
- 18 Presbyteri noviter ordinati dum communicantur ab Episcopo, non dicitur *Consecror.*
- 19 Cardinales olim consecrabant simul eandem Hostiam cum Papa.
- 20 Canonici olim concelebrabant cum Episcopo.
- 21 Periculum preventionis Episcopi in consecratione cum noviter ordinatis.
- 22 Intentio Ministri non potest suspendere vim verborum formæ in Eucharistia.
- 23 Presbyteri noviter ordinati carent præferre verba consecrationis simul cum Episcopo.
- 24 Pasqualigi verba pro Sacerdotibus noviter ordinatis consecrantibus unâ cum Episcopo.
- 25 Cereemoniarum Magistri obligatio, dum ordinantur novi Sacerdotes.
- 26 Presbyteri dum ordinantur, ne dissent multum ab Altari.

QUÆSI-

QUÆSITUM PRIMUM.

Quæ sit forma consecrationis Corporis CHRISTI in Eucharistia?

Dixerunt omnes formam consecrationis Corporis Christi consistere in illis quatuor verbis **HOC EST CORPUS MEUM** ut ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. & ex Catechismo Romano sess. 19. de Euch. Siquidem hæc verba prolata à Sacerdote in persona Christi efficiunt id, quod significant; scilicet conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, qui hanc vim, & virtutem prædictis verbis attribuit, cum ipse primum hoc Divinum Sacramentum sui Corporis iisdem verbis instituit, atque consecravat; & per hanc formam conficitur Corpus Christi, non solum si ab uno tantum Sacerdote proferatur super materiam; sed etiam si pluribus simul ut sit in consecratione
2 Episcopi novi, & in collatione Ordinis Presbyteratus; novi enim Presbyteri concelebrant cum Antistite ordinantē; & novus Episcopus cum Episcopo consecratore, ut constat ex Pontificali Romano, & docent S. Thom. 3. part. qu. 82. art. 2. Mastrius in 4. Sent. disp. 1. num. 59. & in Theolog. Moral. disp. 18. num. 41. Scotus in eod. lib. dist. 33. art. 3. Emin. Card. de Lauræa tom. 1. in 4. Sentent. disp. 24. art. 4. & Diana Coordinatus tom. 4. tract. 8. resol. 89. 90. & 91. quæ residet in antiquo part. 12. tract. primo resolut. pariter 89. 90. & 91.

At quatuor difficultates reperi invecas contra hanc responsionem, *Unam à Theologis, alteram à Canonistis, tertiam à Scripturistis, quartam à Philosophis*; Eminent enim Clerus Patavinus ingentium Professorum numero.

Prima difficultas Theologorum fuit ista: Hæc verba **HOC EST CORPUS MEUM**, prolata à Sacerdote, significant corpus ipsius Sacerdotis, non autem Corpus Christi. Ergo illa verba non constituunt integram formam; idcirco de ejusdem formæ essentia, & integritate videntur esse alia verba præcedentia videlicet: *Qui pridie; quam pateretur, accipit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas & elevatis oculis in celum ad te Patrem suum Omnipotentem, Tibique gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes; HOC EST ENIM CORPUS MEUM.* Igitur hæc omnia verba unita simul denotant id, quod consecratur, esse Corpus CHRISTI, non autem Sacerdotis consecrantis, ut autumat Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. Angelus in Summa verb. Eucharistia num. 24. Pasqualig. in Sacra Morali doctrina disp. 95. num. 14. Idem ad stipulatur Rubrica Missalis Romani de defectibus in celebrat. Missar. occur. §. 3. num. 6. ubi præcipit, quod si deprehendatur defectus panis post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut supra Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: **QUI PRIDIE**, &c.

Secunda difficultas Canonistarum desumitur ex tex. in Can. Non omnis panis 61. de consec. dist. 2. ubi dicitur: Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi. Iste Corpus Christi Et Glotia explicans ly; Benedictionem subdit. Institutam à Christo, quæ est: *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum* Confirmatur ex S. Ambrosio. l. 4. de Sacram. cap. 4. qui ita dicit: Cum venit, ut consecratur Sacramentum, Sacerdos non propriis sermonibus, sed sermone utitur Christi dicens:

Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Ergo necessaria sunt verba præcedentia, per quæ Sacerdos loquens in persona Christi, consecrando significat Corpus Christi.

Tertia difficultas Scripturistarum fuit: quod Christus Dominus videtur consecrasse suum Corpus sub specie panis, non verbis formæ prædictæ; sed sola benedictione; dicunt enim Evangelistæ, quod benedixit & fregit, deditque discipulis suis dicens: *Accipite, & manducate: Hoc est Corpus meum*, consecratum scilicet ante hæc verba. Hinc etiam habetur Luc. 24. quod Salvator recumbens cum duobus discipulis euntibus in Emmaus *Accipit panem; & benedixit, & fregit, & porrigebat illis*, id est suum Corpus, quod ibi consecravat per solam benedictionem. De hac etiam dicit Apostolus 1. Cor. 10. *Calix, cui benedicimus, nonne participatio Domini est*; Ergo per solam benedictionem fit consecratio Corporis Christi; & ita videtur fuisse de mente Innocentii III. lib. 4. de Sacro Altaris mysterio cap. 6. in his verbis: *Sane potest dici, quod Christus virtute divina consecrat, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicere; ipse namque pro se virtute propria benedixit, nos autem illa virtute, quam indidit verbis.* Ergo Christianus non consecravat verbis, sed divina virtute præcedenter ad verborum prolationem.

Quarta difficultas: Philosophorum est talis; Si plures Sacerdotes simul proferant verba consecrationis, nihil videntur agere; ratio est, quia repugnat, plures causas totales concurrere ad eundem numero effectum, & necesse est, ut ipse effectus multiplicetur, sicut multiplices sunt influxus à causis totalibus provenientes, quæ produciunt effectum; ut disserit Colleg. Compluten. lib. 2. Physicor. disp. 15. à num. 17. P. Nicolaus Arnù in eodem lib. 2. Physicor. quæst. 6. art. 3. & Mastrius disp. 9. Physicor. quæst. 3. art. 2.

His tamen minimè obstantibus vera est responsio data ad Quæsitum; scilicet, formam consecrationis Corporis Christi consistere in his quatuor verbis tantum: **HOC EST CORPUS MEUM**. Neque subsistit prima difficultas à Theologis invecas quamvis enim hæc verba prolata sine aliis verbis præcedentibus videantur ex sui natura significare corpus Sacerdotis proferentis; nihilominus, quia Sacerdos cum illa profert, intendit Corpus Christi, idcirco significant Corpus Christi; & non corpus Sacerdotis; Sacerdos enim loquitur in persona Christi; & profert illa verba tamquam instituta ab ipso Christo, cum intentione efficiendi id, quod instituit Christus; ut ex doctrina S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Alensis, Tatarci, & aliorum Scotistarum adstruit Mastrius in 4. Sentent. disp. 3. quæst. 6. art. 1. & 2. advertens, contrarium scripsisse Scotum disputationis gratia, non ut firmaret se in illa opinione. Cui nihil favet Rubrica Missalis, nam ordinat, ut reassumatur consecratio ab illis verbis: *Qui pridie &c.* non tanquam consecrationis, sed dispositivis ad consecrationem. Præterquam quod illa verba: *Qui pridie quam pateretur &c.* non nominant personam Christi; & opus esset altius repetere Canonem, si necessariò desumendus foret sensus verborum formæ à verbis præcedentibus, ut legere scientibus manifestè patet. Itaque verba præcedentia sunt de præcepto Ecclesiæ, non autem de essentia consecrationis, neque de forma, prout neque ly *Enim*, ut passim notant omnes Scholastici, & Moralistæ, S. Thomas d. part. 3. quæst. 78. art. 2.

art. 2. Gonet tom. 5. disp. 7. de Eucharistia forma
art. 1. & habetur in cap. Cum Martha, de celebr.
Missar. Thom. Tamburin. de Jure Divino lib. 4.
10 cap. 2. n. 15. ubi ait: Particulam Enim sine pec-
cato mortali omitti, præciso contemptu, ex ma-
teriarum parvitate; & n. 19. ex Soto addit, valide
consecrare Sacerdotem ex defectu linguæ dicen-
tem *es*, pro *est*, & *meum*, pro *meum*; nam Hispani
ex difficultate linguæ non bene proferunt T,
post S, neque M, in fine syllabæ.

Ad secundam difficultatem Canonistarum res-
pondet Suarez de Euchar. disp. 59. sect. 1. & Re-
ginal. in Praxi. 29. sub n. 30. Glossam referre
verba concernentia usum Eucharistiæ, & sunt illa:
Accipite, & comedite. Et concernentia formam
consecrationis, & sunt ista: *Hoc est Corpus meum.*
Itaque verba *Accipite, & comedite* non concernunt
formam consecrationis; & hinc est quod à S. Lu-
ca fuerunt omiſſa, ait enim cap. 22. *Et accepto*
pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens:
Hoc est Corpus meum. Ad Auctoritatem autem
S. Ambrosii respondet Mastrius in cit. disp. 3. n.
147. his verbis: S. Ambrosius illa verba adducere,
quia licet non sint de necessitate consecrationis, ad-
huc tamen sunt de necessitate præcepti, ut supra di-
ctum est: & idem Ambrosius verba illa alibi præter-
misit: Uterius advertit idem Mastrius in sua
Theologia Morali disp. 18. n. 32. communem esse
doctrinam Thomistarum, & Scotistarum, quod
Sacerdos profert recitative verba illa: *Qui pridie*
quam pateretur &c. profert autem significative il-
la verba: *Hoc est Corpus meum.* Certum est au-
tem verbis recitativis, & per viam historię prola-
tis non consecrari Hostiam, sed tantummodo per
verba significativa.

Ad tertiam difficultatem Scripturistarum respondet
Gonet d. tom. 5. de Eucharist. disp. 7. n. 49. con-
cedens, fuisse opinionem Innocentii Tertii, sed tan-
quam privati Doctoris, item Mayri, Catharinis, &
aliorum, quorum fundamenta congerit, sed non
retinet Salmeron tom. 9. tract. 13. quod Christus
consecraverit suum corpus absque verbis per ex-
cellentiam suæ potestatis. Sed contrarium est ten-
endum, ut docent SS. Patres relati ibidem à Go-
neto, videlicet Tertullian. lib. 4. contra Marcion.
ante finem; ubi ait: *Acceptum panem, & distri-*
butum discipulis Corpus suum illud fecit. *Hoc est*
13 *Corpus meum, dicendo.* Item S. Cyprian. de Cæna
Domini: *Summus Sacerdos Panem profert, & vi-*
num: Hoc est, inquit, Corpus meum. Pariter S.
Ambrosius relatus de consecr. dist. 2. cap. Panis, ait:
Cum panem accipiens diceret, Hoc est Corpus meum,
planè monstratur, verbum illud operatorium fuisse,
& aliis omiſſis hæc veritas reperitur decisa à Sacro
Tridentino Concilio sess. 13. cap. 1. ibi: *Quotquot*
in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc Sa-
cramento differuerunt, apertissime professi sunt, hoc
tam admirabile Sacramentum in ultima Cæna Re-
demptorem nostrum instituisse, cum post panis, vi-
nique benedictionem, se suum ipsum Corpus illis præ-
bere, ac suum Sanguinem (notetur) disertis, ac
perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à Sanctis
Evangelistis commemorata, & à D. Paulo postea re-
petita, cum propriam illam, & apertissimam signi-
ficationem præferant, secundum quam à Patribus
intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est,
ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad
fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas Car-
Doct. Clericali Tom. I. Liber II.

nis, & Sanguinis Christi negatur, contra univer-
sum Ecclesiæ sensum detorqueri. Igitur cum Chri-
stus Dominus testatus sit, post benedictionem pa-
nis, & vini instituisse suum Corpus, & Sanguinem
disertis, ac perspicuis verbis, idest determinatis, &
clare exprimentibus Corpus suum, neque alia ver-
ba diserta, determinata, & manifestè exprimen-
tia Corpus suum habeantur, nisi illa: *Hoc est Cor-*
pus meum, constat his verbis à Salvatore fuisse
consecratum sub specie Panis Corpus suum; ut
bene concludit Emin. Cardin. de Lauræa de Eu-
charist. disp. 19. num. 185. & seqq. ubi alia ar-
gumenta cumulat, & congruentias hujus verita-
tis annectit.

Neque obstat, quod per benedictionem tantum
videatur hoc Sacramentum institutum, quia ut
habetur in cit. Decreto Concilii Trid. fuit institutum
post benedictionem; & institutio facta fuit per
verba, ut testatur S. Ambrosius relatus in cap. Re-
vera 69. de consecr. dist. 2. versus finem, ita di-
cens: *Quod si tantum valuit humana benedictio, ut*
naturam converteret, quid dicimus de ipsa conse-
cratione Divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris,
operantur? Ergo benedictio accipitur pro consecra-
tione, quæ fit per verba Salvatoris, idest, *Hoc est* 14
Corpus meum; ut docet S. Bonaventura in 4. dist. 8.
part. 1. art. 2. quæst. 3. ad ultim. quem citat, &
sequitur Emin. Cardin. de Lauræa dict. disp. 19.
num. 199. Idem sentit Emin. Cardin. Capisuc-
chius Controversia secunda, de Benedict. Euchar.
quæst. unica §. 1. Et concordat S. Thom. lect. 4.
super illis verbis Apostoli 1. Cor. 10. *Calix bene-*
dictionis, cui benedicimus: quæ sic ab Angelico
declariantur, videlicet: *Cui benedicimus, idest,*
quem nos Sacerdotes consecramus.

Nec concludit factum Christi resuscitati cum
discipulis in Emmaus; nam multi DD. tenent, tunc
Christum non consecrasse suum Corpus, sed por- 15
rexisse panem simpliciter de more à se benedi-
ctum; vel si ibi consecravit Eucharistiam, usum
fuisse verbis formæ jam institutæ; quamvis Evan-
gelista brevitate gratia ea omiserit, ut respondet
Gonet d. tom. 5. disp. 7. de Eucharist. n. 53.

Opinio Innocentii Tertii cedere debet Concilio
Tridentino; nam (ut diximus) ita scripsit tan-
quam Doctor privatus; ut advertit Eminentiss.
Cardin. de Lauræa d. disp. 19. num. 192. & ratio
contra Innocentium est manifesta; quia Christus 16
dicto, & facto voluit instruere, & informare suam
Ecclesiæ in consecratione hujus admirabilis Sacra-
menti; & sic voluit consecrare appositis verbis,
quibus ipsa Ecclesiæ uteretur pro forma.

Quarta difficultas selecta à Philosophis (quod
plures Sacerdotes videantur non posse simul concele-
brare, & consecrare eandem materiam) vocatur
gravis difficultas, & quæ torquet doctorum homi-
num ingenia à Diana Coordinato tom. 4. tr. 2. res.
89. decerpta ex antiquo ex p. 12. tr. 1. resol. 89. Et
non absque ratione, est enim biceps, an scilicet
prædicta simultanea consecratio fiat valide; & an
fiat licite. Caterum quod valide plures simul Sa-
cerdotes eandem Hostiam consecrare possint, tes-
tantur communiter Scholastici, inter quos Emin.
Card. de Lauræa d. tom. 1. in 4. Sent. disp. 24.
art. 4. Mastrius pariter in 4. Sent. disp. 2. num. 59.
& in sua Theologia Morali disp. 18. num. 41.
Pasqualig. in Sacra Morali Doct. disp. 102. sect. 4.
Gonet d. tom. 5. de Baptismo disp. 2. n. 21. & 22. &
alii plurimi, quos cumulat Diana Coordinat. d. t. 4.
tr. 8.

tr. 8. ref. 89. 90. & 91. quibus, ex Philosophis, consentiunt idem Collegium Compluten. d. 1. 2. *Physic. disp. 15. n. 18.* & P. Arnūcit. qu. 6. art. 3. n. 40. Ratio Philosophorum, & Theologorum est, quia plures Sacerdotes concelebantes sunt causæ instrumentales, morales, agentes in virtute causæ principalis, qui est Christus, nihil autem repugnat in moralibus, ut plures causæ totales producant eundem numero effectum, ut si plures personæ dignæ concurrant cum suis precibus ad obtinendam eandem numero gratiam. Præterquam quod, ut docet Mastrius *dis. disp. 2. num. 63.* prædicti Sacerdotes possunt dici causæ

17 partiales, quia licet quilibet Sacerdos esset causa totalis consecrationis, si solus celebraret; tamen quia celebrando cum aliis pluribus, pendunt omnes à principali causa, quæ est Christus, in cuius persona omnes proferunt verba consecrationis; & cui in consecrando subordinantur; idcirco censentur causæ partiales eundem effectum producentes, virtute causæ principalis, idest, Christi.

Quod autem hæc concelebratio, & simultanea consecratio fiat licite, constat ex antiqua consuetudine, immo ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in Pontificali Romano, approbato per Clementem Octavum, & per Urbanum pariter Octavum, in titulo de Ordinatione Presbyteri; & in titulo de Consecratione electi in Episcopum mandat, ut Pontifex Secretas morose dicat, ut ordinati ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere, debet enim ex consuetudine concelebrare, & etiam verba consecrationis proferre; & inde fit, ut ante Communionem

18 eorumdem Presbyterorum noviter ordinatorum non dicitur *Confiteor*, neque *Misereatur*, neque *Indulgentiam*, quia sunt concelebantes, & ea dixerunt à principio, ut observat Castald. in *præxi Sacrar. Ceremon. lib. 2. sect. 15. cap. 5. n. 10. pag. 345.* In cuius consuetudinis antiquissimæ probationem plures Canones, & auctoritates SS.

19 Patrum refert Emin. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 18. num. 9.* quibus demonstrat olim Cardinales solitos fuisse concelebrare cum Papa, & cum ipso eandem Hostiam consecrare, quod etiam notat Mæcer in *Hierolex. verb. Cardinalis col. 6. pag. 126.* Similiter omnes Canonicos consuevisse simul celebrare, & Corpus,

20 ac Sanguinem Domini consecrare cum Episcopo ex Innocentio lib. 4. de *Myster. Missæ cap. 25.* refert Diana Coordinatus d. tom. 4. tract. 8. ref. 91. in fine; quamvis hac tempestate usus servet, ut Canonici Sacerdotes, Episcopo Pontificalia exercente, assumant tantum planetam, recitent cum Episcopo introitum, & alias partes Missæ, Canone excepto, à quo abstinere, qui amplius non consecrant, ut olim faciebant unitim cum Episcopo; unum, & idem Sacrificium simul conficientes; quod tamen hæcenus servatur à Græcis.

Porro non levis est labor Theologorum; & ut ait Diana, eorum ingenia torquentur, in excogitandis remediis contra incommoda, quæ evenire possunt in hac concelebratione, & præcipue si unus præveniat alios in proferenda forma consecrationis. Est enim manifestum periculum, quod alii committant sacrilegium consecrando materiam jam consecratam, vel unus consecret Corpus, alius vero non Corpus, sed Sanguinem; immo ipse Episcopus ordinator potest præveniri in consecratio-

21 ne ab uno ex ordinatis; & sic ipse nihil agat, non celebret, non conficiat Eucharistiam; & eam

postea sumat sub utraque specie contra præceptum Ecclesiæ; ut considerat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 24. art. 4. num. 53. Emin. Cardin. de Lugo de *Eucharist. disp. 11. num. 161.* Lessius in *Opere posthum. eodem tract. de Eucharist. art. 2.* Collegium Salmanticen. in *Theologia Moral. de Sacram. Euchar. tract. 4. cap. 9. punct. 1.* & Diana Coordinatus d. resol. 89. 90. & 91.

Plurimi plurima dicunt. Alii, quod hi Sacerdotes noviter ordinati debeant habere intentionem conditionatam, consecrandi tunc, quando Episcopus ipse consecrat, quamvis ipsi illum præveniant in prolatione formæ. Sed non est bonum remedium, quia intentio Ministri non potest suspendere effectum Sacramenti, quem causat forma consecrationis in ultimo instanti prolationis verborum. Alii, quod hic ordinati dicant formam consecrationis *recitative*, non autem *significative*, idest absque intentione consecrandi. Sed hoc esset malum; quia concelebrent, & Ecclesia vult, quod & ipsi consecrent. Alii, quod non intendant consecrare, neque non consecrare, sed generaliter facere, quod intendit Ecclesia. Sed non est rectum, quia præcisè debent intendere consecrationem. Alii alia dicunt, sed omnes se involvunt, itaut neque seipsos intelligant, neque ipsi intelligi valeant; vel ob obscuritatem, vel ob ambiguitatem, vel ob insubstantiam remedii, quod proponunt, ut observare quilibet poterit in ipsis cardinalibus Theologiæ, nempe in Cardinalibus de Lauræa, & de Lugo locis supracitatis.

Mihi satius est, perpensis omnibus remediis, amplecti illud practicum, & speculativum, quod suggerit Pasqualigus in *Decisionibus Moral. decis. 422. à num. 9. & seqq.* videlicet, quod in praxi curent Sacerdotes noviter ordinati proferre verba consecrationis, quantum possibile est, si mul cum Episcopo, & cum expresse intentione consecrandi eandem Hostiam, & eundem Calicem unà cum ipso Episcopo; & hoc satis esse, neque ulterius quaerendum circa supposita incommoda, examinata à Doctoribus; cessant enim omnia de per se, ea ratione, quia (ut ipse Pasqualigus speculatur) Episcopus est principalis consecrans, Sacerdotes autem ab eo ordinati, sunt accessorii in eadem consecratione; forma autem consecrationis, quam ipsi proferunt cum Episcopo, est moraliter adjuncta, & alligata cum illa, quam profert Episcopus; unde fit, ut quamvis verba Sacerdotum paulò ante compleantur, sive paulò post, quam illa Episcopi, censetur esse moraliter simul, & constituere unitim eandem consecrationem. Non me piget in gratiam Lectorum, transcribere verba Pasqualigi in cit. decis. 422. à num. 9. quæ sunt ista:

Ut autem tradita doctrina melius teneatur, sciendum est, quod Episcopus ordinans est principalis consecrans; ceteri autem sunt adjuncti, & accessorii. Ex quo fit, quod tanquam ipsi (Episcopo) subordinati debeant sequi motum ejusdem; & quod etiam actio consecratoria uniuscujusque ex intentione Ecclesiæ, quæ ipsos Episcopo adjungit, sit subordinata actioni consecrative Episcopi; & proinde habeat ponere effectum cum dependentia ab actione consecrative Episcopi.

Ratione autem hujus subordinationis, omnes illi consecrantes, quamvis singuli seorsim sint sufficientes ad consecrandum, constituunt unam adaequatam causam

nam consecrativam; Sicut enim sunt causa moralis consecrationis, ita etiam ununtur in unam causam moralem, quia habentur per modum unius, cum ordinentur omnes ad eandem materiam consecrandam; & ad eundem effectum consecrationis. In hac autem causa Episcopus, seu principalis consecrans se habet veluti forma dans unitatem, & motum, quia ceteri omnes ipsi adiunguntur ut accessorii.

Ex hoc autem fit, quod ex institutione Ecclesiæ significatio forme consecrationis, quæ est vis operativa, seu potius ipsa operatio, quæ est ab accessoriis, fit adjuncta significationi verborum principalis consecrantis, & veluti ipsi alligata; unde ducitur ab ipsa ad causandum; & ideo ponit effectum ut conjuncta significationi principalis consecrantis, & ut præsens sequens motum ipsius.

Et ideo sive verba paulo ante compleantur, quam compleantur à principali consecrante, sive paulo post, censentur esse moraliter simul; & constituere unicam causam illius effectus, determinatam morali modo in ipso principali consecrante; & consequenter quilibet moraliter concurrat ad effectum consecrationis, quia significatio verborum cujuslibet est unita moraliter, & simul significationi verborum principalis consecrantis, sive in esse completo paulo ante præcedat, sive paulo post subsequatur; quia hoc parvum discrimen non tollit similitudinem moralem. Corpus autem, & Sanguis Christi ponitur sub speciebus, quando primo completur significatio verborum principalis consecrantis, tanquam ea, cui omnes alie subduntur.

- 25 Corollarii loco pro conclusione hujus Quæstioni duo sunt colligenda notanda. Unum, quod Magistri Ceremoniarum in ordinatione Sacerdotum, eos exactè moneant proferre verba consecrationis Panis, & Calicis simul, & unitim cum Episcopo. Alterum, quod non permittant, eosdem noviter ordinatos Sacerdotes stare in nimia distantia ab Altari, ob doctrinam Bonacinæ disp. 4. de Euchar. quæst. 2. punct. 6. n. 11. & Thomæ Tamburini de Jure Divino lib. 4. cap. 2. de Eucharist. n. 8. dicentium, incertissimum esse, an materia Eucharistiæ consecratur à Sacerdote distante per triginta passus.

DECISIONIS. XVII.

Ad Aprilis Quæsitum secundum,

ARGUMENTUM.

Agitur de forma consecrationis Calicis. Plures Calices solitos fuisse apponere Judæos celebrantes Pascha Azymorum ostenditur, atque eorum ceremoniæ referuntur. Notantur variae opiniones Theologorum circa formam consecrationis Sanguinis; & firmatur, eam consistere in illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Vel: *Hic est Sanguis meus*. Redditur ratio, quare dicatur: *Hic est Calix*? Et quare apposita sint reliqua verba consecrationis, ut in Canone Missalis.

SUMMARIUM.

- 1 Judæorum mores, dum comedunt Agnum Paschalem primo die Azymorum.

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

- 2 Judæi plures benedictiones faciunt in mensa.
3 Crucis signo an Christus benedixerit panem, & vinum consecrandum in ultima Cena?
4 Calices plures adhibebant Judæi in Cena Paschali.
5 Forma consecrationis Sanguinis Domini.
6 Calicis consecrationis verba an sint omnia essentialia? Tres opiniones.
7 Methonymia figura accipit continens pro contento.
8 Calicis nomen cur Ecclesia adhibeat in consecratione Sanguinis.
9 Verborum consecrationis Calicis significatio.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quæ sit forma consecrationis Calicis, seu Sanguinis Christi.

PRæmittendum: morem fuisse, & nunc esse Judæorum comedentium cenam Paschalem, primo die Azymorum post Vesperas, singulis communibus Calicem vino plenum præparare, quem quater exhauriunt hoc ordine. Ante Vesperas illius die adornant domum, & seipsos & parant קערגא Kengarà idest canistrum, in quo ponunt agnum asinum igne, שמורים Scimurim hoc est tres panes azymos, eodem die confectos, lactucas, aliasque herbas amaras, veluti cichoream, & intubum; item scutellas duas, in una quarum sic acetum, in altera חרסת Charoseth idest mixtura fructuum, & aromatum, habens speciem cretæ, seu Calicis, in symbolum illius, quam struebant in Ægypto; addentes (ex traditione, sive superstitione Rabbiorum) in eodem canistro pisces, ova, & nûces, cum amygdalis. Facto vespere ponunt idem canistrum in mensa, in qua tot sunt calices vino pleni, quot sodales sedentes ad illam, cum pluviani ad sinistram, cui inhaerent aliquantulum, ad denotandum antiquorum usum comedendi in lectis, seu ad innuendam libertatem, & requiem acquisitam in exitu Israël de Ægypto. Quindecim sunt ceremoniæ, quas faciunt ad hanc mensam, his vocibus collectæ.

קדש Kadesch hoc est, benedictio, quia benedictionem quandam recitant, & statim Calicem evacuant, epotantes vinum.

ורחץ Urchaz, idest lotio, quia illic omnes lavant manus.

כרפס Carpas, significatque res virides, herbas scilicet agrestes, quas à canistro desumunt, ac intingunt vel in aceto, vel in mixtura Charoseth supradicta.

יחץ Jachatz, videlicet divisio nam paterfamilias dividit unum panem azymum, cujus medietas absconditur subtus tobaleam ad significandum, quod in exitu ab Ægypto detulerunt in mappis pastam erudam absque fermento.

מגיד Magidb, scilicet narratio; narrat enim primus in mensa, quomodo eorum patres manducabant in Ægypto panem afflictionis, sed inde educti, post esum agni, potiti sunt libertate; & omnes communales canunt diversos Rhythmos, enunciantes plagas Pharaonis, & gratias à Deo Hebræis elargitas; & interim præ gaudio extollunt eorum calices mero plenos, eosque bibendo evacuant iterum.

H 2

רחץ